



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

4 De exercitio Intellectus circa voces indeclinabiles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

debuisset scribi, DICIT & non DICITUR. non autem dixit, vt forte indicaret, id quod dicturus foret, non suo, sed Christi nomine dici. Quæ coniectura inde confirmari potest, quod Dominus noster etiam ipsi Ananiæ apparuerit, reuelaueritque, quid esset dicturus, quod etiam ilico fecit. Nam accedens Paulum, *Saule, frater,* inquit, *Dominus IESVS misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, & videas, & implearis Spiritu sancto.*

*De Exercitio Intellectus circa voces
indeclinabiles.*

C A P. I V.

QVAMVIS in Meditatione necesse non sit anxie vim eiusmodi vocum scrutari, tamen aspernanda non est, vt monet B. BASILIUS in libro de Spiritu sancto quasi præpostera & inutilis hæc diligentia. Nec vero, inquit, quoniam alicui videbuntur minuta, ob id derideri debent, & negligenda, immo quia difficilis inuentu est Veritas, Undique nobis est inuestiganda. Addit autem hanc pulchram similitudinem. Si quemadmodum cætera artes, ita & pietatis acquisitio paulatim minutis accessionibus augetur, nihil est

est pratermittendum ijs, qui ad cognitionē instituuntur, & sicut, si quis prima elementa, & res minutas contemnat, quando ad perfectam veniet sapientiam. Certe maiorem eiusdem libri partem expēdit, ut demonstraret, quam varii conceptus ad fidem confirmandam ex diuinis literis hauriri queant, si verba sedulo ponderentur

S. BERNARDI elegans illa fertur sententia. *ADVERBIORVM remunerator est DEVS, & non Verborum.*

S. Hieronymus libr. 4. in Isaiam annotauit, vobis: *Eccē* plerumque significari rem magnam & obseruatione dignam, ut in illo dicto Isaiæ: *Eccē Virgo concipiet. nouum, inquit, debet esse, atque mirabile hoc.* &c. Ac S. Chrysost. hom. 37. in imperfecto dicit. *Et Eccē ostendens aduerbium est, non corporali aspectu, sed intellectuali. Opera virtutum eius aspiciunt, non schema visionis eius.*

Idem hom. 15. in Genesim. postquam dixit in diuinis scriptis nullum verbum esse superuacuum, tractans sententiam illam: *ADDA vero nō inueniebatur adiutor similis eius.* Cap. 2. ex coniunctione, *VERO*, colligit, Moysen voluisse indicare, quod discrimen inter mulierem & bestias esset futurū, licet illæ æquē ac mulier in adiutorium Adæ essent creatæ.

Nam

Nam creatæ quidem erant ad auxilium illi præstandum in victu, vestitu, oneribus deferendis vel trahendis, & id genus aliis, sed non in multiplicatione generis humani, ratione cuius voluit Deus quoque mulierem esse rationis participem. Quid *Vult*, inquit, *hac brevis dictio, VERO?* quare apponit consensionem? an non sufficebat dicere, *Ada. non absq³ ratione, neq³ curiositatis gratia inquirendi talia nobis studium est, sed ut doceamus, eos neque distionem parvam, neq³ syllabam unam diuinis litteris contentam esse prætereundam. Non enim Verba tantum sunt, sed & Spiritus sancti Verba magnum in his thesaurum inuenire licet, etiam in una dictione.* Et subiungit. *aliud tamen quoddam adiutorium est multis numeris excellentius, quod à muliere Ada præstatur.*

T R A.